

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 177

**Auteur(s) :** Yves, fils de Foulques [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [997, 12 avril-1003, 12 avril]

**Action juridique :** restitution

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Charte par laquelle Yves, fils de Fulconius, pour les âmes de Foulques, son père, et de Rotaïs, sa mère, avec le consentement de ses sœurs, Billehendis et Eremburgis, celui de ses oncles, l'évêque Sifroy et un nommé Guillaume, avec celui de ses cousins, Guillaume, clerc, Robert, Suhard et Guillaume le laïc, restitue au Mont-Saint-Michel huit villae, situées dans le Maine, sur les frontières de l'Avranchin, et qui, ayant appartenu autrefois à l'abbaye, lui avaient été enlevées pendant les invasions normandes

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bertrand de Broussillon Arthur, *Cartulaire de Saint-Michel de l'Abbayette, prieuré de l'abbaye du Mont-Saint-Michel (997-1421)*, Paris, Picard, 1894, n° 1, p. 9-12.

### Indications

Louise Gérard, *La seigneurie de Bellême Xe-XIIe siècle*, dévolution des pouvoirs territoriaux et construction d'une seigneurie de frontière aux confins de la Normandie et du Maine à la charnière de l'an Mil, Flers, Le Pays bas-normand, 1992-1993, 2 vol., t. I, p. 232-235, 248-249, 257.

## Dissertation critique

Datation proposée par Gérard Louise (La Seigneurie de Bellême..., t. 1, p. 233).

Texte établi d'après a

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Predecessorum patrum auctoritate decretum traditumque est, ut si quis, suarum quiddam facultatum cuilibet sanctorum loco suae pro remedio animae donaverit, sen quolibet cunquemodo tradiderit, ut perpetualiter ab omnium succendentium calunniatione inconvulsa incontaminataque ipsa donatio seu traditio perseveret, exinde auctoritatis testamentum sollempniter faciat.

Quocirca ego Ivo notum volo esse omnibus tam presentibus quam futuris quod monachi Sancti Michaelis, Mainardus videlicet abba ceterique fratres sub eo degentes, me adientes postulaverunt ut terram, quam mei antecessores pro suarum salute animarum jam olim loco ejusdem Sancti Michaelis donaverant, sed, irruente Normannorum infestatione, locus ipse per multorum curricula annorum amiserat, eidem loco fratribusque ibi Deo sanctoque archangelo servientibus, et, pro eorum necnon etiam pro meorum remissione peccaminum, redderem. Quorum petitionibus pulsatus multoties adquievi, tandem, compensans quam felix foret commercium pro terrenis caelestia, pro temporalibus mercari permansura, quid etiam divina suadeat sententia quæ nos amicos facere precipit

de iniquitatis mamona qui nos in aeterna recipient tabernacula, et quoniam, sicut ignis aqua, sic aelemosina extinguitur peccatum, atque illic nostros recondere tesauros, ubi eos neque erugo neque tinea deteret.

Hujuscemodi igitur et aliis ortamentis submotus, meorum reminiscendo peccaminum nimiumque pertimescendo mortis perpetuae exitum gaudique caelestis tota aviditate mentis concupiscendo contubernium, reddidi predicto loco atque fratribus ibi semper Deo sanctoque Michaeli servientibus, cum consensu et voluntate meorum parentum, duarum videlicet sororum mearum : Billehendis atque Erenburgis, necnon duorum avuncularum : Seinfredi episcopi et Guillelmi, atque cognatorum : Guillelmi clerici, Roberti Sutsardi rursusque Guillelmi laici, predictam terram villas scilicet VIII nuncupatas his vocabulis : Villa Arunton, Cantapia, Val Andrein, Lacerins, Montgulfon, Cardun, Larcelosa, Genet, sitas in territorio Cinnomannico, in confinio Abricatensis regionis ; reddidi quippe et tradidi eis, pro salute anime meae atque patris mei Fulconii et matris mee Rothais et omnium meorum parentum, perpetualiter possidendas, cum terris cultis et incultis, cum silvis, cum aquis, et cum omnibus ipsis predictis villis, appendiciis, ea lege atque tenore, ut habeant, teneant possideantque eas omni tempore absque omnium parentum meorum seu quoruncumque calumniatione et contradictione successorum.

Quod si quis hujuscemodi testamentum diabolicae pravitatis stimulatus aculeis, effringere atque contaminare voluerit, Dei omnipotentis virtute sanctique Michaelis cui injuriam facere presumpserit atque omnium sanctorum, anathematizetur perhenmiter.

Ut autem hujus nostrae redditionis auctoritas verius credatur et diligentius conservetur per omnia firmiusque futuris temporibus teneatur, manu propria subter firmavimus.

Actum Castro Fraternensi, IIII idus octobris, regnante Rotberto, rege Francorum.

Hugolinus sig. +

Ego Ivo firmavi sig. + Vuillelmus clericus sig. +

Gosbertus sig. + Gerardus sig. +

Herveius sig. + Ingelrammus sig. +

Vuillelmus sig. + Rotbertus sig. +

Vualterius sig. +

Goiscelinus sig. + Hugonis comitis sig. +

Tetscelinus sig. + Radulfi vicecomitis sig. +

Vualterus sig. + Isaac sig. +

Lambertus clericus sig. + Droco sig. +

Tetscelinus sig. + Harduini sig. +

Goiscelinus sig. + Haimonis sig. +

Mainardi sig. +

Siginfredus episcopus + Vuillelmi sig. +

Guarnerius sig. + Hodonis tesaurarii sig. +

Hingelbertus sig. + Huberti sig. +

Harman sig. + Huberti clericci sig. +

Erchengerius sig. + Haimelini sig. +

Hugolinus Mori sig. + Hugolini sig. +

Framengerius sig. +